



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

clxxvii [i.e. vi]. Qualis proprijssimè est duratio motus cælestis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

potentia &c. non sit tempus. Et ex his quoque patet, tempus non esse ens rationis; quamvis enim ab intellectu motus cælestis constituatur in ratione mensuræ actu mensurantis, non tamen constituitur in ratione mensuræ aptitudinalis, sicut ab eo non constituitur in ratione durationis successivæ rei successivæ. Et hoc vult Arist. docens impossibile fore tempus, si anima esset impossibilis. Neque huic realitati temporis obstat, quod nulla determinata pars temporis sit præsens præsentia permanente; sufficit enim partes illius aliquando præsentis esse, fuisse vel fore præsentia fluente, fuisseque aliquando in facto esse fluente, continuarique inter se unionibus fluentibus in infinitum, uti & ipsæ partes, divisibilibus.

VI. Tempus imaginarium est duratio possibilis alicujus motus, quem imaginamur nobis veluti actu extendi in infinitum, seu continuari semper, & æquabili fluxu & ordine partium suarum defluere in, vel potius juxta æternitatem divinam. Atque hinc rem esse in tempore imaginario, est rem habere actu durationem intrinsicam correspondentem illi durationi, quam
talis

talís motus habet inesse possibili. Qualem durationem, cum Deus de facto habeat, habueritque semper, bene dicitur esse & fuisse in tempore imaginario.

VII. Res omnes tam permanentes, quam successivæ, tam corporeæ, quam spirituales, propriè incipiunt intrinsecè seu per primum sui esse (quæ inceptio per primum esse sic explicatur: nunc res est, quæ immediatè ante non erat) & non extrinsecè sive per ultimum sui non esse (quæ inceptio sic explicatur: res, quæ nunc non est, immediatè post erit) res enim dici debet incipere, quando verè est, & quando ex futura fit præfens, sed pro isto instante extrinsecò necdum verè est, & non magis in illo instante existere incipit, quam ante centum annos; è contra desinunt res omnes, non intrinsecè seu per ultimum sui esse (quæ desinitio ita explicatur: res, quæ nunc est, immediatè post non erit) sed extrinsecè seu per primum sui non esse (quod sic explicatur: res, quæ immediatè ante fuit, nunc primò non est) per primum enim non esse ex præfenti fit præterita, & verè non est. Sic dicitur primum esse formæ esse primum non esse privationis. Et si res permanentes
inci-